



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Pudorem, propter Deum, & virtutem, vince: seu, publice benefac.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXXVIII.

PUDOR.

§. 1.

*Pudorem, propter Deum, & virtutem,
vince, seu, publicè benefac.*

Num. 1.

Victores ex Veteri.

Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Gen. 17. 10. Voluit Deus, ut Abraham circumcideretur, ut signaretur amicus ejus signò exteriori. Non enim vult, ut solum interioris ejus amici simus, sed ut etiam exterioris nos ejus amicos esse ostendamus. Stella in Luc. 2. 21.

Factum est autem, cum sedisset Rex in domo sua &c. 2. Reg. 7. 1. Quà machinà hostes vici? Iyrá & saltu. Saltavit coram arca palàm: nam mox post saltum coram arca addit textus pacem regni: ut hanc, non armis, sed publicò partam sciremus obsequiò. Oliva. l. 1. Strom. Tit. 2.

Narrabo nomen tuum fratribus meis; in meo Ecclesia laudabo te. Ps. 21. 23.

Leclulus noster floridus. Cant. 1. 15. Quid sponsus? an mox advolavit ad latebras? quin eas pertasus à cubili secreto in patentem campum abiit. *Ego flos campi.* Cant. 2. 1. nolo intrà septa humanitatem meam stagnare. Ergo si me optas; tibi germino, sed in agro; ut omnibus te à me diligi, constet. Oliva. l. 1. Strom. tit. 2.

Sicut fragmen mali Punicum gena tua. Cant. 4. 3. Habet ruborem mali Punicum in genis anima, cum erubescantiam non refugit pro Christo objectionis, paupertatis, contumeliarum, afflictionum, & laborum. Richardus à S. Victore c. 20. in Cant. hic. Malum Punicum, quia rosei coloris est, Passiois Dominicae mysterium non inconvenienter inlinat. - Quia ergo sancta Ecclesia non erubescit Crucem Christi, sed & ipsa gaudet in contumeliis, ac passionibus pro Christo; vexillamq; crucis ejus gestare solet in facie: merito genas instar mali Punicum habere memoratur. V. Beda. 4. in Cant. hic.

Ut inveniam te foris. Cant. 8. 1. Eminet amor, seque ostendet foris; non in latebris occultetur. Oliva. l. 1. Strom. Tit. 2.

Num. 2.

Ex Novo.

Christus Dominus.

Nemini dixeritis visionem. Matth. 17. 9. Christus mandavit sileri visà, non audita. *Loquebantur de excessu.* Celat gloriam, non amorem; & magis amore, quàm spe gloriæ, vult nos ad se trahere. Sylveira hic.

Et deridebant eum. Luc. 8. 53. Frequenter legitur Christus à reprobis irrisus; non tamen ob hoc ab operibus pietatis cessavit. Non igitur agrè feramus, si à quibuscunque irrideamur; nec ob illorum irriliones à bono inchoato cessemus. Dion. Carth. hic.

Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Hebr. 12. 2.

Num. 3.

Alij ex Novo.

Ubi est, qui natus est, Rex Judaeorum? Matth. 2. 2. Civitatem ingressi, fervidò animò, disertà linguà, sinè timore, de rege mirè nato incipiunt percontari; non autumantes displicere regentibus, & habitantibus civibus; sed congaudentes cum eis, quos de mirè nato gaudere putabant; tanquam de glorioso Domino, qui regnum Israel restitueret, & eriperet à tyrannide Romanorum. Sim. Cas. l. 1. c. 12.

Quaedam mulier de turba dixit illi: beatus venter &c. Luc. 11. 27. Grata fuit Christo hæc mulieris proclamatio: quia, cum circumstantes Discipuli tacerent, illa publicè Christi laudes proclamavit. Sylveira hic.

Non est inventus, qui rediret &c. Luc. 17. 18. Unde tantum illi à Christo præconiùm? regressus est cum magna voce magnificans Deum. v. 15.

Qui præbant, increpabant eum. Luc. 18. 39. Bonos Christianos, volentes facere præcepta Dei, Christiani mali, & tepidi, prohibent: clamant tamen illi non deficientes. Cum enim Christianus quisque ceperit bene vivere, Mundumque contemneret, in qua sui novitate patitur reprehensores frigidus Christianos. S. Aug. s. 18. de verb. Dom. Tanto ejus affectio in se ipsa incendebatur, & fortior, calidiòrque fiebat; atque in valentioris vocem erupit, quanto majorem contrarietatem, ac resistentiam, sentiebat. Dion. Carth. hic.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Cur non etiam Petro? S. Chrylost. Petrus negaverat in atrio; latro confessus est in cruce.

Discipulus occultus, propter metum Judaeorum. Joan. 19. 38. de Joseph ab Arimath. At ut vidit illum crucifixum, & mortuum; audenter se manifestat, & sepulture honorem ei procurat. Lyran. exemplo mortis Christi amarus, ostendit se publicè Christi Discipulum esse. Sylveira hic.

Non erubescio Evangelium. Rom. 1. 16.

Num. 4.

Sententiæ ex Veteri.

Accedite ad eum, & illuminamini. Ps. 33. 6. Rubor ille, quò ad opprobrium Christi perfundimur, ex distantia nascitur à DEO nostro. Quis enim propius ac Christum accessit; eumque vel in stabulo natum, vel in officina enutritum, vel in cruce defunctum, aspexit; quin pompas sæculi horruerit, & crucis decolorem nigredinem concupierit? Nigrescit sanè crucis opprobrium nobis, noctisque instar squaler; quòd procul à cruce sinè lumine caligemus. Ideò ait Propheta *accidite &c.* q. d. vis paupertatis pannos fulgere? in cru;

in crucis lumine eos colloca. Nonne, dum tenebræ regnarent, propior cruci latro in luce erat? qui etiam cruore foedatam, involutamque Christi divinitatem agnovit. Ergo accedite ad eum cognitione primùm, tum imitatione; & *facies vestra non confundentur.* O-liva l. 12. Strom. §. Accedite &c.

Pone me ut signaculum &c. Cant. 8. 6. Ut non tantùm interiùs coram Deo, sed etiam exteriùs coram hominibus, profitearis, te meam esse; in me credere, sperare, amare; & me solum habere Deum, Dominum Sponsum, ita ut nec in corde, nec in brachio, ponas signaculum Diaboli, aut alicujus creaturæ. de Ponte hic Ekh. 6. §. 2.

Ne accipias faciem adversus faciem tuam. Eccl. 4. 26. adversus vitiosum pudorem auditorem armat; ostendendo nihili faciendo omnia, dum bono pudori, & animæ consultatur. S. Ephrem de mala convers. vit. nè acceptor sis personæ contra animam tuam. Vatablus: nè cedas ulli faciei, quod animæ tuæ damno fiat. Paulus de Palatio: nemo tibi pretiosior sit. Octavianus hic.

Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum nè metumtis. Isa. 51. 7.

Num. 5.

Ex Novo, & Patribus.

Omnis - qui confitebitur me coram hominibus &c. qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. Matth. 10. 32. 33.

Qui me confusus fuerit &c. Marci. 8. 38. Cur Christus suis proponit cavendam solam verecundiam; quali ea sit validissima omnium tormentorùm ad negandam fidem. Cur non potiùs meminit ardentis fornaces, ungulas ferreas, inauditas lanienas, rotas, bestias? cur maluit, illis omissis, solius verecundiæ meminisse? Luca 9. 26. *qui me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet.* Sanè prima & præcipua vis diaboli contra humana corda in verecundia nimia consistit. O quot pereunt, quia non contemnitur pudor, & confusio. Hebr. 12. 2. *sustinuit crucem confusione contempta:* nisi eam contempserit, totus Mundus periisset. Baeza t. 2. l. 6. c. 5. §. 19.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis &c. I. Petri. 4. 14.

Scio, quòd multi nos risuri sint; atqui melius est, nos nunc rideri, quam olim deplorari - Rideat, qui voluerit; subsannet, qui voluerit. In hoc positi sumus, ut videamur scilicet, ac subsannamur, ut omnia patiamur. *Purgamenta hujus Mundi facti sumus* secundum B. Paulum 1. Cor. 4. 13. Si quis noluerit præceptum hoc perficere, quemadmodum tuba quæ-

dam per verbum denuntio; abstineat à liminibus Ecclesiasticis illis, sive princeps sit, sive alius diademate cinctus. S. Chrysol. hom. 8. in Act.

§. II.

Pudoris origo, & causa.

Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo. Gen. 37. 2. Pater nihilominus dissimulavit. Non dicitur illos vel verberare, aut verbò, castigasse. Credo, quia ingenuos juvenes illa suorum criminum ad patrem delatio tantò pudore affecerat; ut parens indicaret, illos tantò pudore fatis castigatos. Mendoza in 1. Reg. 6. 1.

Pudor plerùmque corrector est nostri. Et dum incipit nos pudere commissi, nè diutius pudeat, deserere, quæ erubescenda sunt, admonemur. S. Ambros. in Pl. 118. Octon. 10.

Videtur pudor esse valida, & potens, armatura ad effugienda peccata: qui ideo, ut puto, est nobis à Deo inditus; ut ejusmodi animi affectio sit nobis avertio à deterioribus. S. Gregor. Nyss. hom. 3. in Ecclesiasten.

Dicunt Physici, quòd natura pudore tacta ita sanguinem ante se pro velamento tendat. Unde videmus, quemque erubescens manum sibi ante faciem opponere. Macrobius l. 7. Saturn. c. 11.

§. III.

Pudor magna afflictio.

Erimus in opprobrium universa terra.

Judith. 5. 25. Non timet Achior necem, & interitum: Pudor enim viris magnis intolerabilis est; sperni, opprobriis impleri. Minus de reliquis malis queritur David; unum oculis opprobrium est. Psal. 43. 16. *rotà die verecundia mea contra me est &c.* Isa. 1. 2. *audire caeli, & auribus percipe terra - ipsi spreverunt me.* Quæ Hebræus egit improbè, pandit Judex Angelis, & hominibus, ut inde reus pudeat. Zeno Ven. l. 35. apud sapientes honestosque, homines gravius est aliqua notà confundi, quam mori. Obsessus ab hoste Chaldæo Sedecias, non tantum crucem, & necem, timet, quam turpe opprobrium. Jerem. 38. 19. *nè forte tradar in manus eorum, & illudant mihi.* Quid Sedecia? si Chaldæus tuos coram te filios necet? quid si tibi oculos eruat? non timet. Quid si gravissimè cruciet? non timet: unum timet derisum hominum. Abul. q. 3. in 4. Reg. 25. Viri, qui sunt in magno honore, potiùs vellent sustinere mortem, quam illudi. Matth. 27. 5. *Judas Iscariot se suspendit.* Theohylactus: non ferens ignominias subsecuturas, seipsum è vita subduxit. Velloso in Judith 5. Paræti 48.